



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Duplici conclusione utraque difficultas breviter resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

re, & sede, non autem ad servitutem naturalem, huic enim non repugnat servum communicare cum domino in iisdem bonis, dummodo inferiori modo communicet: humanitas verò Christi, licet cum Deo in iisdem bonis communicet, non tamen ad æqualitatem cum illo, sed modo inferiori participat bona, honorem, & sedem eius; nam bona illa Deo competunt per essentiam, humanitati verò Christi, per gratiosam communicationem.

33. Ad illud quod subditur, nimirum servum debere à domino distingui personaliter, dicendum est, hoc quidem exigi in humanis, ubi non potest reperiri diversitas naturarum, cum unitate suppositi, in Christo tamen posse reperiri veram servitutem ad Deum, ratione diversarum naturarum, cum unitate suppositi; quemadmodum in illo, ob solam diversitatem naturarum, reperitur obedientia, oratio, satisfactio rigorosa, & iustitia commutativa ad Deum, licet hæc in humanis, non solum naturarum, sed etiam suppositorum diversitatem requirant.

ARTICVLVS II.

An Christus, ut homo, in hac vita mortali, verè & propriè oraverit, & etiam nunc orat in cælo?

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas breviter resolvitur.

Dico primò: Christus ut homo verè oravit hæc in vita mortali, nec solum pro alijs, sed etiam pro se.

34. Prima pars huius conclusionis ex varijs Scripturæ locis apertè colligitur: dicitur enim Lucæ 6. de Christo: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Matth. 14. *Dimissa turbâ ascendit in montem solus orare.* Marci 14. *Procidit super terram, & orabat ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* Joan. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Denique ad Hebræos 5. *Qui in diebus carnis sue preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Hæc autem propriè intelligenda sunt, cum nihil cogat ad improprium sensum recurrere, & oratio Christum ut hominem non dedecet, sed potius ei maximè conveniret. Primò, ut Deo hunc religionis cultum exhiberet. Secundò, ut orandi nobis exemplum præberet. Tertiò, ut modis omnibus salutem nostram operaretur, merendo, satisfaciendo, & impetrando. Quartò, ut patrem suum omnis boni authorem ostenderet. Quintò, ut verum Dei filium se demonstraret, Patrem suum naturalem invocando, & omnia quæ efficaciter à Deo postulabat impetrando. Unde Joan. 11. ante Lazari suscitationem dicebat: *Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me. Ego autem sciebam quoniam semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.* Denique æternâ Dei ordinatione constitutum fuit, ut multa per Christum non aliter fierent quàm interventu orationis, & per viam impetrationis: unde sicut propter homines redimendos necessarium fuit illum mori ita propter aliqua obtinenda, necessè

A fuit illum orare. Ex quo probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit Christum non solum pro alijs, sed etiam pro se orasse. Unde D. Thomas hic quæst. 21. art. 3. in corp. sic ait: *Sicut in humana natura quadam bona Christus habebat à Patre jam percepta, ita etiam expectabat ab eo quædam bona, nondum habita, sed percipienda; & idcirco sicut pro bonis jam perceptis, in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum authorem (ut patet Matth. 26. & Ioan. 11.) ita etiam ut Patrem authorem recognosceret ab eo orando petebat ea quæ sibi deerant secundum humanam naturam, puta gloriam corporis, & alia huiusmodi.*

Dico secundò: Christus etiam nunc in cælo existens, verè & propriè orat, nobis divina beneficia postulando. Est contra Medinam, Vazquem, Beccanum, Delugo, & alios, affirmantes Christum in cælo orare tantum interpretativè, quatenus ejus orationes fuisse in hac vita mortali, & merita ac passionis sunt in conspectu & memoria Dei, & à Christo præsentè, sedenteque ad dexteram Patris, exhibentur illi quodammodo obiectivè, Deumque sollicitant ad exequendum id, quod promerita sunt. Est tamen D. Thomæ in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 6. quæstione 2. ad 1. Aulensis in cap. 14. Matthæi quæst. 142. Toletii in c. 16. Ioan. annot. 35. Suarez hic disp. 45. sect. 2. & Martinoni disp. 15. sect. 1.

C Favent SS. Patres: Justinus enim in libro quæstionum ad Orthodoxos, quæst. 105. sic discurre: *Si enim carnis imbecillitatibus superior Resurrectione effectus, tamen ut confessionis nostre Pontifex pro nobis loquitur & rogat; quanto magis cum etiam corporis imbecillitatibus erat obnoxius, magno clamore & firmo, atque lacrymis egebat, cum quibus preces ei qui se liberare à morte posset, offerret?* Ambrosius in cap. 8. Epistolæ ad Romanos: *Christus resurgens semper causas nostras agit apud Patrem, cujus postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei est.* Gregorius magnus in 5. Psalmum Penitentialem paulò post initium: *Quotidie Christus orat pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus Paulus, quia sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis.* Denum D. Bernardus Serm. de Nativit. Mariæ de oratione Christi nunc in cælo existentis hæc habet: *Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus, ad solia fugiebas, Jesum dedit tibi mediatorum. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium.*

E Ratio etiam suffragatur: Oratio enim non dedecet Christum in cælo, neque quia est Deus, cum sit etiam homo, & quia alioquin neque in hac mortali vita orasset: neque etiam quia est beatus, alioquin sancti non possent pro nobis orare. Imò valdè decens & utilis est, cum sit actus religionis, valens ad Deum honorandum, & ad impetrandum quod petitur, si expediat: Ergo Christus, etiam nunc in cælo existens, verè & propriè orat. Et sane cum Christus in cælo Deum colat adoratione, gratiarum actione, & alijs actibus latræ, quidni etiam oratione? Quidni etiam nunc salutem nostram operetur tali medio sibi decenti, nobis utili, & Deo glorioso?

Adde quod Christus, etiam nunc in cælo existens, verè & propriè Sacerdos est, unde sacerdotium ejus æternum dicitur: Sed inter alia munera quæ Sacerdoti conveniunt, præcipuum est orare, & preces pro populo Deo offerre: Ergo Christus etiam nunc in cælo existens, verè & propriè orat,

DE SERVITUTE, ORAT. ET SACERD. CHRISTI. 679

& preces Deo offert, unde Augustinus in præfat. Psalmi 85. *Orat pro nobis. & orat in nobis, & oratur a nobis. Orat pro nobis ut Sacerdos. Orat in nobis ut caput nostrum. Oratur a nobis ut Deus noster.* Et infra: *Oratur ergo in forma Dei, orat in forma servi: ibi creator, hic creatus.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

39. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Oratio est ascensio mentis in Deum, ut ait Damascenus libro 3. de fide cap. 24. Sed Christi mens Deo unita beatificè ab instanti conceptionis, non potuit de novo in Deum ascendere: Ergo nec orare.

40. Respondeo Christum, licet Deo unitum beatificè, potuisse de novo ascendere in Deum per actus intellectus & voluntatis inferiores visione & amore beatifico, per quos Deo sua desideria pro se vel pro aliis proponeret. Sicut beati in cælo simili modo pro nobis & pro seipsis orant.

41. Objicies secundo: Nemo prudens postulat id quod jam scit futurum esse, aut quod jam scit non esse futurum; si enim scit futurum, non est opus ut postulet. Si non futurum, inutiliter postulat ut sit futurum: Sed Christus ab initio conceptionis, per scientiam beatam & infusam scivit certissimè quidquid erat vel non erat futurum, saltem quantum ad ea quæ ad ipsum specialiter pertinebant: Ergo Christus saltem pro seipso non oravit in hac vita mortali.

42. Respondeo præscientiam Christi nullatenus impedivisse utilitatem aut necessitatem orationis ipsius, quia præsciebat suam orationem esse medium utile, vel etiam necessarium juxta Dei decretum, ut essent futura quæ postulabat: prudenter verò postulamus & utiliter id quod scimus interventu nostræ orationis esse futurum. Solutio est D. Thomæ hic quæst. 21. art. 1. ad 2. ubi sic ait: *Inter alia quæ Christus scivit futura, scivit quædam esse fienda propter suam orationem, & hujusmodi non inconvenienter à Deo petiit.*

43. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Oratio connotat vel includit carentiam potestatis plene & absolute in eo qui orat: At Christus morte suâ, & meritis totius vitæ, obtinuit à Deo plenam & absolutam potestatem disponendi de omnibus in cælo & in terra, juxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra:* Ergo Christus nunc in cælo existens, verè & propriè non orat.

44. Respondeo Majorem esse veram de oratione ex indigentia, at non de illa quæ fit ex abundantia solum, & ex affectu religionis ad Deum colendum, eique se submitendum, qualis illa est quam Christus nunc in cælo existens habet.

45. Objicies quartò: Christus morte suâ & meritis obtinuit quidquid unquam Pater hominibus concessurus erat, juxta illud ad Hebræos 10. *Vna enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos:* Ergo nihil ampliùs postulat, frustra enim peteret quod jam impetravit.

46. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: nam sicut impetratio Christi in hac vita, non impedit quominus Deum orare debeamus, & sancti ipsi pro nobis orent, ut per hujusmodi orationes Christi merita nobis applicentur; sic neque merita Christi impediunt, quin Christus possit orare de novo, & merita sua per orationem nobis applicare, sicut ea applicat per

A sacrificium Eucharistiæ, per sacramenta, & per alia media: causæ enim generales, requirunt causas particulares sibi subordinatas, in ordine ad speciales effectus.

Objicies quintò: Si Christus hunc in cælo pro nobis oraret, mereretur, quia ejus oratio esset digna effectu quem impetraret. Possemus etiam Christum orare ut pro nobis oraret, quod ab Ecclesiæ consuetudine alienum est; illa enim nunquam dicit, *Christe ora pro nobis*, sed *exaudi nos*, vel *miserere nostri*.

Respondeo negando sequelam, eum enim tempus merendi ad vitæ hujus mortalis spatium Christo æquè ac nobis definitum sit, Christus in cælo existens, licet vi orationis possit à Deo impetrare, non tamen apud ipsum mereri.

Ad illud quod subditur, dicendum est, quod licet in orationibus privatis possimus Christum ut hominem orare ut pro nobis oret, seu orationes nostras suæ conjungat, & Patri offerat in orationibus tamen publicis id non licet, quia hoc est alienum ab Ecclesiæ consuetudine, quæ ad vitandos errores Arrii & Nestorii, nunquam dicit *Christe ora pro nobis*, nam ly *Christus* supponit pro supposito divino, cujus non est orare, sed adjuvare, ut observat S. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 6. quæstione. 2. ad 1.

C Ex dictis colligitur, Christum nunc in cælis in dextera Patris sedentem, duobus modis pro nobis orare; primò verè & propriè, divina beneficia pro nobis postulando, ut in secunda conclusione ostendimus; secundo impropiè & interpretativè, quatenus merita sua & passiones Patri exhibet, & vulnere ostensione, ipsum veluti sollicitat ad dandum hominibus id quod, dum in terris existeret, pro ipsis meruit; ut explicat D. Gregorius lib. 22. Moralium cap. 18. his verbis: *Vigilans Filio pro homine interpellare est apud coeternum Patrem seipsum hominem demonstrare; ei quæ pro humana natura rogasse, est, eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscipisse.* Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce sed miseratione; quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.

ARTICVLVS III.

An Christus ut homo sit verè & propriè Sacerdos?

DE Christi Sacerdotio plura dicemus in Tractatu de Eucharistia, cum de Missæ sacrificio differemus, unde hic solum breviter demonstrandum est, Christum, ut hominem, esse verè & propriè Sacerdotem, & in ejus Sacerdotio plura reperiri singularia & mirabilia, quæ aliis Sacerdotibus convenire nequeunt.

Dico igitur: Christus ut homo, fuit verè & propriè Sacerdos.

Probatur primò ex SS. Patribus, quæ Sacerdotium Christi mirum in modum commendant: Augustinus enim in Psalm. 132. *Quis est Sacerdos (inquit) nisi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? Quis est Sacerdos, nisi qui fuit víctima & Sacerdos? Nisi ille qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, se ipsum obtulit?* Fulgentius 1. ad Trasim. cap. 12. *Vnus idemque mediator Dei & hominum homo Christus Jesus; ipse Pastor & ovium; ipse sponsus & sponsa; ipse Sacerdos, & víctima; unus idem*